



**R. P. Christophori Gillii, Ex Brigantio Lvsitaniæ, Societatis
Iesv, Et in Conimbricensi Academia S. Theologiae
Professoris; Commentationvm Theologicarvm De Sacra
Doctrina, Et Essentia atque vnitate ...**

Gil, Christovão

Coloniae Agrippinae, 1610

Theologia viatorum est vna specie distincta à quacunq[ue] alia scientia.
Cap. 1.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82291](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82291)

bitibus rationem formalem practici, vel speculativi determinatè iuxta diuersitatem obiectorum.

DE THEOLOGIAE VNITATE DISTINCTIONE, ET COMPARATIONE
cum alijs habitibus: Tractatus Sextus.

EXPLICATA natura habitus Theologici, sequitur de ipsius unitate, & distinctione ab alijs scientijs, & habitibus nonnihil dicam. Et quidem distinctio secundum rationes essentielles satis patet ex dictis. Nam certitudine differt ab omnibus habitibus suapte natura incertis, & falsitati obnoxijis, inevidentia, ab evidentibus, supernaturalitate à naturalibus, ratione discursus ab ijs qui discursu non indigent. Sola superest comparatio quoad identitatem, ac distinctionem secundum rem, quoad inæqualitatem certitudinis, ac dignitatis, denique quo ad rationem subalternationis actiue vel passiue ad alias scientias, & habitus tam naturales, quam supernaturales.

Theologia viatorum est vna species distincta à quacunque alia scientia.

CAPVT I.

I. VNitas dicit completam rationem eius formæ, secundum quam res dicitur vna, & indiuisiōem in plura secundum eandem rationem: & ita duo obstant rationi vnus, nempe negatio complementi eius formæ, secundum quam res dicitur vna, & diuisio in plura participantia complete eandem formam; Ex defectu prioris conditionis nullus, quem legimus, negauit Theologiam esse vnā speciem scientiam. Probatur tamen primo quoniam Aristoteles lib. I. Posteriorum. t. 43. sumit unitatem scientiæ ab unitate subiecti, principiorum, & passionum, at in his omnibus conuenit nostra Theologia cum scientia beatorum: est enim de Deo secundum rationem Deitatis vt illa: vt i-

Aristot.

tur iisdem principijs, quibus illa: deducit easdem conclusiones, quas agnoscit illa: quare non est scientia vna in se, sed pars integrans Theologiæ. Secundò Theologia est pars Metaphysicæ: etenim scientia, quæ agit de eodem subiecto, & sub eadem abstractione, quæ alia, non differt specie ab illa, sed continetur sub illa, vel saltem cum ea integrat vnā completam rationem scientiæ: Theologia nostra agit de Deo, vt Metaphysica, considerat illum sub abstractione, à materia sensibili, & intelligibili, vt Metaphysica: ergo non sunt duæ scientiæ specie distinctæ, sed in vnā coalescunt. Maior propositio sumitur ex Aristotel. 6. Metaphys. cap. I. distinguente scientias penes diuersas abstractiones à materia.

Quod attinet ad secundum defectum unitatis, Goffredus cit. ab Aureolo, quæst. 4. prologi, articul. 3. existimauit Theologiam non esse vnā speciem scientiam, sed plures; quam opinionem tacito Auctoris nomine refert etiam Bassol. quæstio. 6. articul. 1. §. *Alia est opinio*, probatur verò primo, quoniam, vt dictum est supra, Theologia est simul practica & speculatiua: hæc verò duæ rationes coalescere nequeunt in vnā rationem specificam scientiæ: ergo Theologia non habet unitatem specificam, sed generiam. Assumptio ostenditur: nam, quoties habituum fines, & obiecta sunt omninò disparata, nec reducibilia in vnum, fieri nequit, vt scientia sit vna, quandoquidem ad eius unitatem, licet non sufficiat vnitas subiecti materialis, est tamen omninò requisita: fines verò habitus practici, & speculatiui non habent inuicem attributionem, quoniam alter est pura contemplatio, alter operatio: neque item obiecta, quoniam licet bona operatio conducat ad placendum Deo, vel dispositiue moderando passionem inferuiat eius cognitioni, tamen vt est obiectum cognitum, non habet attributionem ad cognoscendas veritates diuinas: non enim traditur gratia acquirendæ cognitionis, sed bonæ operationis exercendæ. Secundò diuersitas abstractionis ex parte subiecti est in causa, vt scientiæ differant specie: at Theologia agit de subiecto adæquato sub diuersa abstractione: agit enim de Deo, & alijs abstrahentibus ab omni materia, agit de rebus corporeis abstrahentibus à materia singulari: quapropter non erit vna species: Denique ex parte principiorum sumitur diuersitas specifica: Theologia verò usurpat principia supernaturalia, Metaphysica, & moralia,

quare

III.

quare habebit triplicem rationem specificam.

Non disputo nunc, vtrum Theologia sit simplex habitus, an aggregatio multorum habituum sub vno ordine specifico, de quo circa reliquas scientias Philosophi disputant. Sed vtrouis modo ex illis sentiendum sit, inuestigo vtrum sit vnica specie scientia per se, ita vt neque sit tanquam pars alterius, neque genus, aut aggregatum, continens plures species, quod etiam de mente Diu. Thom. notat Caietan. i. p. quæstion. i. artic. 3. initio. Et quidem, si loquendum sit de Theologia creatæ, prout abstrahit à nostra, & beata, perspicuum est non esse vnā specie: quandoquidem nostra, vtpote ineuidēs, differt specie à beata, quæ est euident. Verum non est hoc loco sermo de ea, sed de nostra: hæc autem multipliciter accipitur, vt tractatu primo dictum est, & etiam prout includit omnes illos habitus, non est vna, vt rectè notat Durandus quæst. 4. prologi, & per se patet: quia, licet sint omnes de eodem subiecto, non tamen ex iisdem principijs, & sub eadem ratione formali, vt constat ex dictis loco citato. Deinde habitus defensionis, & probatiuus articulorum fidei, in quo Durand. & alij constituunt rationem Theologiæ, non habet propriè vllam vnitatem formalem ac specificam, sed tantummodò materialem, quidquid oppositum dicat idem Durand. quæst. citata, numer. 5. 6. & 11. & Aureol. quæst. 4. artic. 4. propositione 2. Namque vnitates formales, vt habetur ex Philosopho 1. Poster. cit. & asserit D. Thom. inferius citandus, ac Doctores communiter, sumitur à principijs, ac ratione motiua assensus: at Theologia eodem modo sumpta non habet vllam rationem formalem vnā: quandoquidem principia quibus vtitur, non conueniunt sub vna ratione: sunt enim rationes probabiles, similitudines, & exempla, interdum rationes Philosophicæ, Physicæ, & Metaphysicæ, vt idemmet Aureolus fatetur; quæ omnes, nili coadunentur sub vna ratione formali superiore, pertinent ad diuersas scientias, nec possunt dare vnā rationem specificam Theologiæ hoc modo sumptæ: si quis dicat cum Aureolo vbi supra, coadunari sub ratione veritatis reuelatæ, quia assumuntur ad tuenda & confirmanda principia fidei reuelatæ, non aptè respondebit: nam ratio, sub qua principia sumi debent, vt constituent rationem formalem, debet se habere ex parte ipsorum, & pertinere ad motiū assentiendi conclusionibus,

quod principijs continetur: reuelatio vero sumpta modo explicato, non habet se ex parte motiui, sed ex parte conclusionis: ideoque sub illa coadunari nequeunt tam diuersa principia ad constituendam vnā rationem formalem specificam. Itaque Theologia secundum eam acceptionem non habet vnitatem formalem, sed materialem, quatenus est de veritatibus complexis contentis in scriptura Canonica, & alijs definitionibus infallibilibus veritatis. Idem quoque dicendum de Theologia, si sumatur pro habitu solum declaratio sacri textus ad verum ac proprium sensum eruendum: constat enim, vt iam alibi dixi multis, diuersisque habitibus, ac notitijs rerum disparatarum solum coherentibus in materiali obiecto, hoc est tota scriptura sacra: quod si interpretes sacram literarum interdum ex quibusdam reuelatis alia colligant, ac tueantur, hoc iam præstant proprio habitu Theologico, qui habet modum scientificum, de quo nunc ex instituto quæritur.

Dico primum, Theologia necessaria est completa in genere scientiæ, neque habet rationem partis integrantis alterius. Ita ex instituto docent Alenf. i. p. q. 1. m. 2. Albert. in sum. tractat. i. q. 4. Egidijs i. p. prologi, q. 2. Henric. in sum. ar. 7. q. 1. & est de mente Doctorum, quos in sequenti propositione referam: qui omnes dicunt Theologiam esse vnā scientiam, vt alia, quæ integræ sunt in ratione scientiæ, neque de hoc vllus, quem viderim, ambigit. Nam quamuis multi negent esse scientiam, tamen sub sua propria ratione, siue sit scientia, siue alius specie habitus intellectuales, omnes integram, & completam esse censent. Neque Caietan. & alij Thomistæ, qui sentiunt posse esse euidentem, & ineuidentem, constituunt quasi duas partes integrantes ipsius, sed quasi duo accidentia eiusdem habitus. Vt autem probetur, supponendum est duo esse genera partium subiecti alicuius scientiæ, quædam sunt integrantes, quædam subiectiue: Et quidem particulares scientiæ de integranibus non sunt subiectiue, sed integrantes etiam: quoniam vt ait Philosophus 1. Poster. cap. vigesimo tertio, scientia vna est de vno subiecto, ac partibus eius. Et ad Philosophum naturalem pertinet agere de materia, & forma, quæ componunt corpus mobile, quod est subiectum Philosophiæ; atque adeo partiales scientiæ de materia, & forma non sunt completæ in genere scientiæ, sed partes integrantes philosophiæ

IV.

Alenf.
Albertus.
Egidijs.
Henricus.

Aristot.

phie naturalis. Quod locum habet in cæteris omnibus, saltem quatenus cadunt sub eandem abstractionem. Porro de partibus subiectiuis interdum sunt scientie completæ in suo genere, quæ etiam sunt partes subiectiuæ, non integrantes rationem communis scientiæ genericæ circa illud obiectum: exempli causa, quantitas abstrahens à materia sensibili singulari & vniuersali, est quædam ratio generica obiecti scibilis, cui respondet etiam ratio quædam generica scientiæ, quam communiter scientiam mathematicam appellamus: sub quantitate verò ita sumpta continetur numerus ac magnitudo: quibus sub scientia mathematica respondent numero quidem arithmetica, magnitudini verò geometria: & hæc sunt verè, ac propriè scientiæ in sua specie integræ, partes subiectiuæ, & non integrales scientiæ mathematicæ in communi. Contra verò sub ente, quod abstrahit à materia sensibili, atque intelligibili, continentur substantiæ separata, genus summum substantiæ, & alia: & tamen, quia obiectum Metaphysicæ in ratione scibilis, non est vnum genere, sed specie, scientia de substantijs separatis, non est pars subiectiuæ, sed integrans metaphysicæ: contra verò, si sit aliud ens secundum se specificum, vel etiam indiuiduum, & in ratione scibilis habeat rationem generis, illi sumpto sub abstractione à particularibus rationibus scibilitatis, respondebit communis aliqua ratio scientiæ, siue ea sit vniuoca, siue analogica, sub qua tanquam partes subiectiuæ, non integrales continebuntur particulares scientiæ: quæ respiciunt idem obiectum sub specialibus rationibus scibilitatis.

V.

His positis ostenditur assertio proposita in hunc modum, omnis scientia, ad quam pertinet speculari omnes veritates demonstrabiles, de aliquo subiecto sub ratione formali, non communi cæteris scientijs, non habet rationem partis integrantis: sed est completa in genere scientiæ: id verò conuenit Theologiæ, habet ergo integram, atque completam rationem scientiæ. Maior propositio est euidentis ex dictis, quoniam scientia de obiecto scibili eatenus potest esse integrans & partialis, quatenus solum agit de parte ipsius integrante, aut subiectiuæ, vel non est de omnibus passionibus cognoscibilibus de subiecto, sub vnica ratione scibilitatis: at, quæ speculatur omnes veritates demonstrabiles de subiecto sub ratione formali cæteris non communi, non agit so-

lum de partibus separatim sumptis, sed de toto subiecto, ac partibus, & omnes eorum proprietates considerat: quare non habebit rationem partis integrantis; Hoc verò Theologiæ conuenire patet, quandoquidem nulla est veritas ex diuina reuelatione ineuidenter demonstrabilis de Deo, aut ente diuino per attributionem, cuius inuestigatio, aut cognitio ad Theologiam non pertineat: etenim posita reuelatione potest homo per discursum colligere ea, quæ secundum formam syllogisticam ex principijs reuelatis scibilia sunt: hoc non est munus Metaphysicæ, aut vllius scientiæ naturalis, quoniam non innituntur motiuo supranaturali, non spectat ad Theologiam beatorum, quoniam habet pro motiuo lumen reuelationis euidentis, ergo ad Theologiam viatorum. Secundo, vna scientia totalis, & adæquata responderet vni obiecto scibili perfectò, atque integro in genere scibilis: vt enim rectè arguit Aureolus in prologo, quæstion. quarta, articulo primo, agens contra Scotum, sic se habent conclusiones ad esse scibile, ita habitus eorum ad esse scientiæ, ita vt si conclusiones sint partes vnius scibilitatis integræ, atque perfectæ, nec qualibet ipsarum sit completa scibilitas obiectiuæ, habitus quoque non sit integer in ratione scientiæ: si verò ex parte obiecti sumatur integra, atque adæquata scibilitas constans ex veritatibus omnibus de subiecto sub propria ratione formali cognoscibilibus, tunc habitus ei adæquate respondens sit integer, atque perfectus in genere scientiæ. At Theologia nostra respondet adæquate omni veritati scibili de Deo per lumen reuelationis: ergo non est incompleta, sed integra in ratione scientiæ, & ita ex defectu prioris illius conditionis non desinit esse vna.

Aureolus.

VI.

Ad primum argumentum contra hanc assertionem respondetur, cum Philosophus ait vnius subiecti vnam esse scientiam, intelligendum esse de eodem obiecto in genere scibilis, non in genere rei: at Deus Optimus, Maximus, licet sit maximè vnus in genere rei, potest induere multiplicem rationem scibilis propter diuersa motiua, & rationes formales, nam sicut è conuerso ens, quod est maximè commune in genere rei, nõ opus est vt habeat eandem communitatem in genere scibilis, imò est vnà specie in ratione obiecti scibilis, ita licet Deus sit maximè vnus in genere rei, subire potest multiplicem rationem scibilis ob diuersa lumina, ac mo-

tiua.

tiua. Philosophus autem idco ex vnitae subiecti, principiorum, & passionum, colligit vnitatem scientiae, quia loquitur de scientijs naturalibus, quorum principia euidenter agnoscuntur ex luminationis: & quia penes hoc non est diuersitas, nequit etiam dari in scientijs naturalibus, quando sunt de eodem subiecto, ac passionibus ex iisdem principijs: at, quia participatio luminis diuini est multiplex, cum vnitae omnium istorum potest esse diuersitas scientiae, si adit luminis diuersitas: quae, quia gignit diuersum speciem sensum circa principia, est in causa diuersitatis scientiarum: & hoc modo Theologia nostra non est pars integrans Theologiae habitae ex lumine diuino: sed pars subiectiua, & completa species per se.

VII. Vt secundo satisfaciatur Bann. 1. p. q. 1. art. 3. conclusionem 3. fingit in subiecto Theologiae, hoc est Deo, quandam abstractionem diuersam ab abstractione scientiarum naturalium, nempe quia Deus abstrahit non solum a materia sensibili, atque intelligibili, vt abstrahit, quatenus est subiectum metaphysicae, sed etiam a potentialitate, quatenus est actus purus. Hoc tamen neque soluit argumentum: neque est necessarium: non soluit argumentum, nam vel ratio actus puri habet se ex parte rationis, quae, & hoc non est ad rem, quoniam etiam Metaphysicus demonstrat, Deum esse actum purum: vel ex parte rationis, sub qua, & hoc modo nulla creatura etiam reductiue pertineret ad obiectum Theologiae; nam quemadmodum nihil omnino pertinet ad metaphysicam, nisi sub abstractione ab omni materialitate, ita si obiectum formale Theologiae sumi debet sub abstractione ab omni potentialitate, nihil omnino creatum pertineret ad Theologiam: siquidem haec abstractio est impossibilis omni creaturae: non requiritur itaque ex parte obiecti Theologiae talis abstractio, vt iam dictum est tractat. 3. cap. decimo, ad argum. verò distinguendum est antecedens: nam si sub eadem abstractione non sit diuersitas, erit eadem scientia, si verò adit diuersitas luminis nequaquam: at verò Theologia procedit ex lumine superiore, metaphysica ex naturali: & idco Theologia quamuis sub eadem abstractione, qua metaphysica de Deo agat, non est eiusdem speciei cum illa, aut pars eius integrans, sed diuersa genere.

VIII. Dico secundum, Theologia nostra non

diuiditur in plures species scientiae, sed est vna simplex, atque infima species. Ita ex instituto Albertus in sum. tractat. 1. quaest. 3. m. 2. & in 1. d. 1. art. 3. Sanct. Thom. quaest. vnica prologi, art. 2. & 1. p. quaest. 1. art. 3. Petrus de Tarantasia apud Carthusianum quaest. 3. prologi, Aegidius in prologo 2. p. primae partis principalis quaest. 3. Henricus in sum. ar. 6. quaest. 3. Richardus quaest. 3. prologi. Heruæus quaest. 4. dum tractat quartam opinionem, & quaest. 5. & quodlib. 9. quaest. 5. Durandus quaest. 4. numero 5. 6. & 11. Henricus Anglicus apud Aureolum quaest. citata, artic. 3. Bassolis quaest. 6. art. 3. §. De vnitae, & art. 4. §. Alias rationes, Gregorius quaest. 3. art. 3. Bachon. quaest. 4. art. vltimo. Marfil. quaest. 2. art. 4. Capreolus quaest. 3. art. 1. conclusionem 4. & art. 2. ad argumenta Aureoli contra quartam conclusionem. Ioannes Gerson 3. p. tractat. de illuminatione cordis alphab. 69. lit. N. Carthusian. quaest. 3. prologi, & lib. 1. fidei orthodoxae, art. 1. §. 3. Syluest. 1. p. conflati quaest. 1. art. 12. Palatius quaest. 9. prologi, Hispalens. quaest. 3. art. 1. conclusionem 4. & art. 4. ad argumenta contra eandem conclusionem. Conradus in proemio primae secundae. Soncin. q. 3. prologi, conclusionem 5. Caietanus & Iauelinus 1. p. quaest. 1. art. 3. & Godefredum impugnant. Scotus quaest. 5. prologi, dum impugnat sextam opinionem, & Aureolus quaest. 3. art. 1. in 7. opinione, non tamen conueniunt omnes in statuendo fundamento huius assertionis. Quidam vt Albertus, Tarantasi, Aegidius, Henricus, Richardus, & Palatius recurrunt ad vnitatem subiecti primarij, & rationis formalis quae: quandoquidem Philosophus 1. Poster. text. 43. eam scientiam vnā dicit esse, quae est de vno subiecto. Verum hi non reddunt rationem adequatam: etenim quamuis vnitae primarij subiecti ad scientiae vnitatem requiratur, ea tamen non sufficit ad completam rationem vnitatis specificae in genere scibilis: & consequenter non confert vnitatem specificam scientiae, vt praeter Doctores citatos tract. 3. cap. 2. docet Durand. quaest. 4. prologi, numero 5. Bassol. q. 6. ar. 2. §. Sic ergo. Et constat ex Philosopho lib. 2. Physic. t. 17. & 18. nam ad diuersas scientias pertinere ait demonstrationem huius propositionis: *Terra est rotunda*, nempe ad Mathematicam, & Philosophiam naturalem propter diuersa media, siue principia, quibus ostenditur: & idco Philosophus 1. Poster. text. 43. ad vnitatem scientiae non solum requirit vnum subiectum, sed etiam

prin-

Albert.
S. Thom.
Tarantasi.
Aegid.
Henricus.
Richard.
Heruæus.
Durand.
Henr. Angl.
Bassolis.
Gregor.
Bachon.
Marfil.
Capreolus.
Gerson.
Carthus.
Syluester.
Palatius.
Hispalens.
Conradus.
Soncin.
Caietanus.
Iauelinus.
Scotus.
Aureol.
Aristoteles.
Durand.
Bassol.
Aristoteles.

principia, ad quæ conclusiones deducuntur.

IX.
Gregor.

Quapropter Gregorius q. citata art. 2. & alij addunt, vt sint eadem principia propria eius scientiæ maximè prima, ad quæ cetera reuocantur: sicut plerumque sunt diffinitiones subiecti, & primæ passionis. Et ad hunc modum frequenter alludit D. Thomas lect. 41. in lib. 1. Poster. & alibi, dum à principijs ait sumi rationem formalem obiectiuam scientiæ, & alij: ceterum hic etiam modus indiget expositione aliqua, vel additione: Nam cum sint plura rerum genera, & species, quæ habent proprias diffinitiones, & passionis, ex quibus conuari queunt principia, siue propositiones indemonstrabiles, & fieri veræ demonstrationes de subiecto, cur quædam vendicant peculiare scientias, quædam minimè? exempli causa de quantitate, & eius speciebus sunt plures species scientiarum mathematicarum, de qualitate verò nulla est specialis scientia, nisi de figura, quatenus pertinet ad quantitatem. Præterea eadem principia materialiter sumpta subesse possunt assensibus specie diuersis: atque adeo potest euenire, vt ex iisdem principijs materialiter sumptis eadem conclusio demonstratiuè sciatur ab vno, ab altero verò solum ex opinione teneatur. Prior quidem obiectio solui potest addendo id, quod addit Philosophus, nempe vt subiectum habeat passionis: at verò quantitas solum, prout abstrahit à materia sensibili, vendicat proprias passionis, quas non vendicat qualitas, quæ quatenus abstrahit à materia etiam intelligibili, pertinet ad Metaphysicam, tanquam passio substantiæ spiritualis, quatenus autem abstrahit à materia sensibili singulari, pertinet ad Philosophiam naturalem tanquam passio entis mobilis, & ita per se non vendicat vnam aliquam scientiam sibi propriam. Sed enim hæc responsio locum habet in aliquibus, non verò in omnibus: nam homo habet proprias passionis cum nullo alio ente naturali communes, & nihilominus scientia de homine non statuitur tanquam species propria scientiæ integræ, & completæ in suo genere, sed tanquam pars integrans Philosophiæ naturalis. Scio nonnullos id negare, qui credunt omnium specierum, quæ proprias passionis habent, esse proprias scientias specie distinctas. Id verò non est de mente Aristotel. qui Metaphysicam vnam solum modo statuit, & nihilominus non est de solo ente, sed de substantijs materiæ expertibus, & cæteris omnibus, quæ

abstrahunt à materia, inter quæ plurima sunt specie differentia, quæ proprias habent passionis.

Vt hæc, & similia dubia tollantur supponendum fundamentum Diu. Thom. Capreol. & aliorum superius tract. 3. cap. 2. tactum, nimirum scientiæ vnitatem specificam sumi ab vnitatis obiecti, non in genere rei, sed in genere scibilis, in hoc autem genere constituitur per omnia, quæ per se sunt necessaria, vt moueat, ac determinet potentiam ad peculiarem modum cognitionis. Hæc verò sunt vna ratio formalis subiectiua, quæ, vna ratio motiua quæ, & quædam aliæ rationes comitantes, sub quibus obiectum habet peculiarem rationem intelligibilitatis actiue, & ita de mente Philosophi requiritur vnitatis subiecti, quo continetur ratio formalis, quæ, vnitatis principiorum, ex quibus desumitur ratio motiua, quæ, rationes verò comitantes in naturalibus speculatiuis constituunt Philosophi in varia & multiplicitate abstractione à materia sensibili, vt tradit Aegidius 1. p. prologi, quæst. 2. quæ omnia Aureol. quæst. citata art. 4. & quæst. vltima, articul. 2. comprehendit nomine modi sciendi specificè distincti, quem multipliciter explicat: sed Philosophica Philosophis relinquamus. Sanè ex proposito fundamento rectè propofita assertio deducitur in hunc modum: illa scientia habet vnitatem specificam, non genericam, cuius obiectum in genere scibilis habet vnicum modum specificum mouendi potentiam, & terminandi eius actus: hunc autem habet Theologia obiectum, ergo est vna specie scientia. Assumptio ostenditur ex dictis in materia de subiecto Theologia, cuius subiectum primum est Deus sub propria ratione Deitatis, ratio motiua est reuelatio, ratio concomitans est in euidencia obiecti reuelati: ex quibus omnibus conflat vna ratio specifica obiecti scibilis, quod respicit habitus Theologicus, quandoquidem omnia interueniunt in obiecto fidei, quæ est vna virtus intellectualis specifica: cuius obiectum ab obiecto Theologia solum differt penes proximè, ac remote, vt iam explicatum est, quia obiectum fidei est proximè cognoscibile per reuelationem, obiectum verò Theologia est cognoscibile per eandem remote, & discurfu rationis applicatam, quemadmodum ergo Deus cognoscibilis proximè per lumen reuelationis in euidens est vnum specie obiectum in genere scibilis, ita idem, quatenus cognoscibilis remote per idem lumen reuelationis, est vnum

specie

specie obiectum in genere scibilis: atque adeo habitus illi adequatè respondens, erit vnus specie in genere scientiæ. Et ita ad lumen diuinæ reuelationis, vt rationem formalem tribuentem Theologiæ vnitatem specificam recurrit S. Thom. Henric. Anglic. Gregor. & Thomistæ cit.

XI. Hunc modum impugnatur Albertus in sum. tract. 1. q. 2. m. 2. in primis quoniam in sacris literis agitur de Historijs, parabolis, & morib. & nõ secundum q̃ accipiuntur per reuelationem. Secundò, quia Theologia agit de Deo, quatenus per rationem inuestigatur: inuestigatio autem rationis distinguitur à notitia per reuelationem: denique quia forma conferens vnitatem scientiæ iuxta Philosophum 1. Poster. t. 43. est, quæ subiectum facit vnum, & solum, & totam causam passionis: reuelatio autem nihil ponit in obiecto reuelato, sed in subiecto, cui fit reuelatio: Aegidius autem quæst. 3. citata. §. *Propter hoc est aliud*, obijcit quoniam lumen diuinæ reuelationis ita se habet ad Theologiam, vt lumen intellectus agentis ad scientias naturales: sed hoc est indifferens ad diuersas scientias: ergò & illud: At verò Durand. quæst. 4. citata, num. 10. contendit non distingui Theologiam per reuelationem diuinam, quia si omnia quibus assentimur per reuelationem, pertinerent ad vnum habitum, par ratione omnia, quibus assentiremur per demonstrationem, pertineret ad vnam scientiam: & omnia, quibus assentiremur per medium dialecticum, pertinerent ad vnam opinionem, quod est inconueniens. Deniq; idem impugnat Aureol. quæst. 4. art. 3. initio, tum quia posset quis habere scientias omnes per infusionem à Deo, vt probabile est habuisse Salomonem, & tamen adhuc distinguerentur specie: quare medium reuelationis non dat vnitatem specificam, tum quia Deus in reuelanda Theologia se habuit per modum præcipui Doctoris: sed ab eodem Doctore potest homo plures scientias acquirere: ergò & à Deo.

XII. Hæc argumenta non conuincunt. Ad primum Alberti negandum est id, quod assumitur: omnia enim, quæ in sacris literis dicuntur ab scriptore sacro, dicuntur ex assistentia, ac reuelatione Spiritus sancti. Secundum solum probat reuelationem non esse motiuum proximum, & immediatū quod non tollit, quominus sit remotū applicatū per discursum. Tertiū, vt notat Caietan. ad fin. art. 3. cit. laborat æquiuocatione: conuincit enim reuelationem non esse rationem formalem subie-

ctiuam, quæ, de qua loquitur Philosophus, & id ego concedo: non tamen probat non esse motiuam: de cuius ratione non est, vt fit forma subiecti, vt res est, sed solum vt obiectum scibile est: ad hoc verò non requiritur, vt insit, sed solum vt possit sub illa concipi ab intellectu: quemadmodum abstractio à materia sensibili, quæ pertinet ad rationem formalem obiectiuam mathematicæ, non conuenit actu subiecto eius, vt res est: nam quantitas semper re ipsa est coniuncta cum materia sensibili in corpore naturali, cui inest: Conuenit tamen illi, vt abstractum à materia sensibili, obijcitur intellectui tanquam subiectum, de quo mathematica disputat: vt verò sub lumine intellectus agentis applicatur per principia euidencia, proponitur sub ratione motiua: & ita nulla ex his rationibus inesse debet subiecto à parte rei, hoc tamen est discrimen inter subiecta scientiæ naturalis, & Theologiæ: quod, cum illa vltimo resoluitur ad apprehensiones terminorum, ratione earum subiectum, vt res virtute continet motiua sciendi: at quia assensus Theologicus non resoluitur in terminos, sed in reuelationem Dei, non est opus, vt motiuum contineatur in subiectis lingulis, vt res sunt, sed sat est si contineatur in primo, vt reuelans est.

Ad argumentum Aegidij, quod positum etiam fuit ab Aureolo, Capreol. quæstion. 3. prologi, in fine, & Caietan. prima par. quæstion. 1. artic. 3. in fine, respondent lumen naturale intellectus non dare per se speciem scientiæ: quoniam idem inferuit omnibus naturalibus. Verum obijci potest, tamen si lumen naturale non constituat obiectum specificum in genere scibilis, constituere tamen genericum: nam scientia naturalis in communi distinguitur à supernaturali, & non nisi ratione luminum diuersorum, quare sicut sub lumine naturali varietas abstractionum multiplicat scientias, ita sub lumine supranaturali multiplicabit: ita vt lumen supranaturale sit ratio quædam obiectiua generica, quemadmodum lumen naturale; Vt igitur satisfiat argumento, supponendum proximam & completam rationem distinctionis vel vnitatis scientiæ, vel habitus fumentam à proprio motiuo assensuum: nam si eiusmodi motiuum habeat eundem modum specificum determinandi intellectam ad actus, habitus ex ijs genitus erit vnus specie: si autem motiuum habeat modum genericum, nullus actus

XIII.

Capreolus.
Caietan.

actus in particulari sumet ab illo speciem : sed indigebit adhuc accessu alterius rationis formalis. Hoc polito ad argumentum Aegidij, negandum est antecedens : nam lumen intellectus agentis habet modum mouendi intellectum quasi genericum, quod per diuersas rationes abstractionis, & varias penetrationes terminorum, & assensus primorum principiorum contrahitur ad plures modos específicos determinandi intellectum : at lumen fidei, quatenus remote applicatur ad assensum conclusionis, habet modum specificum : nam cum intellectus non determinetur ex penetratione terminorum, sed ex fide & autoritate diuina, eodem modo determinatur ad omnes conclusiones, de quacunque materia sint. Eodemque modo responderetur ad argumentum Durandi : Nam assentiri per demonstrationem, aut diuersa media probabilia est ratio generica, quae specie diuersificatur pro diuersitate mediorum, & principiorum, quae assumuntur.

XIV.

Ad argumentum Aureoli responderetur ex Capreol. & Caietan. ubi proxime dupliciter haberi posse notitiam alicuius obiecti per infusionem, vel ita, ut infundatur notitia terminorum, ac principiorum, ex quibus pendet assensus : quomodo probabile est infusus esse Salomoni scientias naturales : vel ita, ut sola ratio assentiendi sit testificatio, seu reuelatio Dei : Et quidem si scientiae priore modo infundantur, erunt adhuc diuersae, sicut si naturaliter acquirerentur, quoniam infusio non esset motuum assentiendi, sed causa efficiens, siue applicans motum. Posterior verò modus subire potest duplicem rationem, quia testificatio Dei nunc est immediata ratio assentiendi, ut in fide, nunc remota, ut in Theologia : & tunc assensus de obiectis quarumlibet scientiarum, si haberentur proxime ex reuelatione diuina, essent omnes eiusdem speciei, nempe fidei : similiter, si haberentur remote ex reuelatione, essent eiusdem speciei cum actibus nostrae Theologiae : verbi gratia, si ex diuina reuelatione immediata assentirem ineuidenter duobus principiis geometriae, & ex illis ita cognitis conclusionem aliquam elicerem, assensus ad principia terminati essent actus credendi, terminatus autem ad conclusionem esset Theologicus. Ad confirmationem eiusdem Aureoli respondeo, quamdiu discipulus sola autoritate Magistri ductus assentit principiis diuersarum scientiarum, & ex ijs conclusiones e-

licit non habere scientiam : sed alienius eiusdem speciei resoluibiles in fidem humanam : cum verò explicante magistro percipit terminos, & principiis euidenter assentitur, habere diuersos habitus pro ratione scientiarum : Deus verò non hoc, sed illo priore modo docet per fidem : & ideo Theologia à doctrina per reuelationem sumit unitatem specificam.

His explicatis superest, ut respondeamus ad argumenta initio proposita contra secundam propositionem, & quidem propter primum Goffredus exittimauit Theologiam non esse unitam scientiam, sed immerito : nam, si tanta alia varietas obiecti secundarij, alioquin ad physiologiam, & metaphysicam pertinentis non variat Theologiam, cur diuersitas penes practicum & speculativum variabit? sicut enim obiecta habitus practici ac speculativi differunt materialiter, sic etiam differunt obiecta naturalia contenta sub ente abstractante à materia intelligibili, & sub ente mobili : & quemadmodum haec considerantur per attributionem ad Deum sub eadem ratione formali motiua reuelationis, ita & illa : atque a deo eadem ratio est, cur Theologia multiplicetur iuxta variationem obiecti sub diuersa abstractione, ac sub diuersa habitudine ad finem : quare, cum variatio penes abstractionem non multiplicet rationem specificam Theologiae, neque multiplicabit variatio penes practicum & speculativum. Ad argumentum itaque neganda est assumptio : ad cuius confirmationem responderetur ipsas quoque praxes pertinere ad considerationem Theologicam per attributionem ad Deum, quemadmodum enim ex cognitione speculatiua rerum creaturarum, allurgit tantum ad cognitionem sapientiae, omnipotentiae, & aliarum perfectionum diuinarum, ita quoque ex cognitione practica operationum, siue naturalium, siue supernaturalium ascendit ad contemplationem bonitatis, sapientiaeque diuinæ, & aliorum attributorum. Ex quo patet discrimen inter praxim, quando est obiectum adequatum alicuius scientiae, & quando est inadequatum : nam priore modo est finis, & obiectum omnino diuersum à fine, & obiectum adequatum scientiae speculatiuae, ut patet : posteriore verò nequaquam, sed habet attributionem ad ipsum, non ut ad finem per ipsam attingendum, aut acquirendum : sed ut ad obiectum primum, quod ex illius agnitione aliquantum innotescit, ut

expli-

XV.

explicat Herueus ubi supra. Respondere etiam potest, quando subiectum primum est obiectum praxis, & speculationis, posse circa illud coadunari sub vna ratione formali motiua speculationes, & dictamina practica: hæc dirigendo in ipsum, tamquam in finem, operationes quas mensurant illæ, sistendo in perceptione veritatis illius obiectiue. Hoc verò modo se habet Deus respectu Theologiæ, vt per se patet. Ad secundum dicendum abstractionem per se solum distinguere scientias naturales speculatiuas: nam scientia moralis modo agit de actionibus purè spiritualibus abstrahentibus à materia, modo de actionibus moralibus, quæ versantur circa appetitum, & materiam externam, & nihilominus non est eiusdè speciei, cum physiologia, aut Metaphysica. simili ratione Theologia non debet specie distinguì ob multipliciter abstractionum. Accedit quod est supranaturalis sumens assentienti motuum non ex varia obumbratione, aut illustratione luminis intellectualis per accessum, vel recessum à materia sensibili, aut ex ipsa terminorum penetratione diuersimodè illustrata ab intellectu agente: sed ex diuini luminis illustratione ineuidenti, quæ ob abstractionis multipliciter non variatur. Ad vltimum respondeo, tum demum principia distinguere scientiam cum constituunt medium adæquatum per se, non autem quando sumuntur ad consortium cum principio alterius generis, quod traducit ea ad constitutionem vnius integri medij retinentis eandem rationem formalem ex vi principij trahentis: exempli causa, duo principia abstrahentia à materia sensibili constituunt medium gignens scientiam Mathematicam: duo item abstrahentia à materia intelligibili constituunt medium gignens scientiam Metaphysicam: ratio est, quia utrobique est diuersa penetratio terminorum sub diuersa abstractione, & coalescunt in vnum medium complectens duo principia eiusdem generis: at, si sumatur tantum vnum principium Metaphysicum, aut Mathematicum, & coniungatur cum altera propositione credita fidei humana, iam non habet vim trahendi assensum ex utroque genitum ad propriam speciem scientiæ quæ aptum esset gignere, si copularetur alteri principio eiusdem generis: sed ipsum trahitur ex ineuidentia fidei humanæ ad productionem actus non scientifici: Eadem verò est ratio in vfu principiorum naturalium, quæ interdum adhibet Theologia: nunquam enim componit discursum ex duobus principijs naturali-

bus, sed semper cum altero naturali sumit alterum reuelatum: ex cuius societate naturale præparatur à partu scientiæ, siue euidentia, & trahitur ad gignendum assensum ineuidentem, ideoque multipliciter principiorum naturalium, quibus Theologia vitur, non impedit eius vnitatem.

Theologia ab habitu fidei re, &
ratione distinguitur.

CAPVT II.

Dictum est de vnitatem, & distinctione Theologiæ ab alijs scientijs, nunc videndum est an distinguatur à fide. Non pauci Doctores censent non distinguì re ipsa ab habitu fidei eum, qui versatur circa conclusiones deductas ex principijs reuelatis per euidentem consequentiam, quem esse propriè Theologicum ostendi tract. 1. cap. 9. Ita Scot. in 3. d. 35. quæst. vnica *Scot.* Aureol. quæst. 1. prologi, art. 2. & in 1. d. 48. quæst. vnica, art. 3. Oham. in prologo, *Oham.* quæst. 3. principali lit. I. & O. Toletan. q. 3. prologi, art. 2. conclusionem 1. & art. 3. & 4. in solutionibus ad argumenta cōtra eandem conclusionem primam. Gabr. quæst. *Gabriel.* 7. lit. C. & in 3. d. 24. quæst. vii. art. 2. conclusionem 6. Maior. q. 4. prologi, Syluest. *Maior.* in conflato, quæst. 1. art. 10. §. 1. & art. 11. Syluest. *Syluest.* circa solutionem ad tertium, Scot. lib. 1. *Scotus.* Poster. cap. 3. quæst. 2. ad confirmationem septimi argumenti principalis, & aliqui recentiores, inter quos magna est dissensio: alij enim existimant ad habitum infusum fidei pertinere assensum conclusionum ex principijs reuelatis, neque esse propriè Theologicum, ita Aureol. & Scotus. Alij quidē censent huiusmodi assensus esse propriè Theologicos: Non tamen conueniunt in assignando habitu fidei, cum quo existimant identificari Theologicum. Recentiores aliqui opinantes Theologicum discursum fieri ex principijs creditis ex humanis motiuis, censent per eundem habitum credi principia, & deduci conclusiones. Scot. vero, Oham. Tolet. Gabr. & Maior. ponentes fidem acquisitam circa actus fidei, ad quos concurrunt infusa, dicunt acquisitam versari etiam circa conclusiones. Tandem Syluest. censet Theologiam non distinguì ab habitu infuso fidei, cui sententiæ fauet Albert. in 1. d. 1. art. 5. docens habitum Theologiæ esse lumen fidei, tam ad ea, quæ continentur in Scriptura, quàm in libris sententiarum. Probatur autem

Gilij comment. Theol.

Z

senten-